



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 3. Caroli V. Legati in Angliam pro firmandis Reginae nuptiis decreti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Mechliniensis Præses, qui omnes Gra-  
 vellingam Cæsareæ ditionis oppidum  
 accesserant: a Galliarum vero Rege  
 mittebantur Annas Montmorantius  
 Equitum Magister, Carolus Cardinalis  
 Lotharingus, Carolus Marilliacus Ve-  
 netensium in Armorica Præsul, Joanes  
 Morvillerius Aurelianensium Epi-  
 scopus. Hi unacum Polo in præstituto  
 loco congregati, præmissis hinc inde  
 officiosis salutationibus de negotii sum-  
 ma agere cœperunt. Verum Franciæ  
 Regis Deputatus tam atroces offerebat  
 propositiones, ut eas ad Cæsarem de-  
 ferre nefas fuisset, quapropter illæ peni-  
 tus imo & cum contemptu rejectæ fue-  
 runt, ac Cæsar inter alia huic Oratori  
 indignabundus reposuit: *quandoquidem  
 non aliud tecum afferres, satius fuisset si  
 procul abiisses.* Ergo re infecta disces-  
 sum, & Carolus V., donec utrinque  
 exercitus in aciem educerentur, Filii sui  
 nuptias ad exitum deducere studebat.

## §. III.

*Caroli V. Legati in Angliam pro fir-  
 mandis Reginæ nuptiis decreti.*

Ineunte hoc anno millesimo quingen-  
 tesimo quinquagesimo quarto Caroli  
 Cæsaris Legati Londinum venerant,  
 nuptias firmaturi, quamvis illæ jam  
 jam anno priori conciliatæ, ac utrinque

Jul. III.

lib. 8.

Brev. fig.

n. 2887. p. 24.

Thu. l. 13.

hoc ann.

pro-num. 4.



Sæcul. XV.  
A.C. 1554.

promissæ videantur, eo quod Papa datis ad Cæsarem literis hanc ei sortem gratulatus esset, ac Regina in Senatu, qui aliquamdiu tergiversatus, tandem consenserat, suam declarasset voluntatem, moxque ad Imperatorem ad erigenda connubii pacta Arundelium Comitem ablegasset. Hic idem conditionibus postea utrinque propositis in Angliam eo tempore revertebatur, quo Caroli Cæsaris Legati hoc regnum ingrediebantur, Reginam officiosa salutatione honoraturi, hisque pactis ultimam manum admoturi. Erat hæc legatio summopere magnifica, cujus princeps erat Egemontius Comes, adjunctis ei Avino Comite, necnon Joanne Montmorentio Currerio. Hos comitabantur Philippus Nigri, & Simeon Renardus ambo Confiliarii, necnon hujus foederis conciliatores. Advenerant ergo una omnes Londinum exeunte Januario, cum summa pompa excepti, paucisque post adventum diebus de matrimonii conditionibus agebatur, & quamvis jam de articulis utrinque conventum, nihilominus Regina nominabat Stephanum Gardinerum Viacomiensem Episcopum, ac Cancellarium, Henricum Arundelium Comitem, & Pagetum præter duos alios, qui cum Cæsaris Ora-



Oratoribus agentes totum negotium in duabus Sessionibus absolverunt. Sæcul. XVI.  
A. C. 1554.

§. IV.

*Conditiones Matrimonii inter Philippum Hispaniæ Principem, & Mariam Angliæ Reginam.*

Porro pacta, quæ inter Reginæ, ac Cæsaris Ministros firmabantur, erant sequentia. I. Nuptiis, quamprimum fieri poterit, inter Mariam, & Philippum contractis, ac perfectis, Philippus omnium uxoris suæ Regnorum, ac Provinciarum titulos, honores, ac prærogativas sibi assumat, sitque durante eorum connubio in negotiorum administratione socius, ita tamen, ut Anglici Regni privilegia, & consuetudines serventur integræ, ac plena, & libera beneficiorum, gratiarum, necnon munerum distributio nonnisi Angliæ Nationis Viris facienda penes Reginam permaneat. Vicissim Philippus titulo, ac prærogativa Regis gaudeat, ejusque nomen unacum Reginæ nomine sigillis, nummis, & publicis diplomatibus apponatur, ita tamen, ut etiam absque Mariti sui chirographo Reginæ scriptura plenam vim, fidemque consequatur, nullusque ex Hispanis, vel ad Ministerium, vel aliud Aulæ officium admittatur,